

Bibliothèque numérique

medic@

**Lescure, François - candidat / Disdier,
François-Michel - président. - De
vulneribus cum amissa substantia**

1768.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°27



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0027](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0027)

DE VULNERIBUS
CUM AMISSA SUBSTANTIA.
T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

Quas DEO FAVENTE, & Præsidi M. FRANCISCO-
MICHAELE DISDIER, Artium & Chirurgiæ
Magistro, Scholarum antiquo præposito Regiæ Chirurgo-
rum Academiæ Consiliario, *tueri conabitur*, FRANCISCUS
LESCURE, *Bergeracensis*, Artium Liberalium Mag.
Theseos Auctor.



P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
Die Sabbati, 22^a. Octobris, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.
A. R. S. H. 1768.

PRO ACTU PUBLICO
E T
MAGISTERII LAUREÆ.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXVIII.

Dcl.



De vulneribus cum amissa substantia - [page 2](#) sur 16



D. O. M. THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

DE

VULNERIBUS CUM AMISSA SUBSTANTIA.

QUÆCUMQUE sit hominis conditio, undique tremendâ obliedetur malorum serie; quodcumque sit innatum ejus naturæ robur, iis citissimè ineluctabili fato occumberet, ni salutaris adesset Chirurgia. Has inter innumeras quibus afficitur ærumnas, nullis crebriùs vulnere cruciatur. Vagetur in sylvis, nunc ex rupis arborisve culmine lapsus, nunc in malè terris disseminata saxa impingens vehementiùs, violenta sibi inferet vulnera, fractosque Chirurgus reportabit artus, & opitulantem Chirurgiam efficacibus invocabit precibus. Optatas in urbe quærat labore opes, nova incumbit ambizioso capiti malorum cohors. Prælia, obsidiones, ut militaris gloriæ, sic Chirurgicæ laudis theatrum. Diris transfixo telis, una adest quæ lethales compescat hæmorrhagias, inimica tela extrahat, vulnera sanet, fracta membra reponat Chirurgia.

A ij

Hi sunt inexhausti vulnerum fontes; hic exarandus Chirurgiæ campus. Prætermisiss nihilominus tot noxarum generibus, sola vulnera cum jacturâ substantiæ in statû simplicissimo spectata, pertractanda amplectimur. Nunquam, non prægresso puris effluxû, hujus fortis vulnerum consolidationem assequitur natura. Suppurationis igitur phænomena examini subjicienda, descripto prius in quo potissimum sedet organo, textû cellulari.

I.

Ex omnibus corporis partibus nulla latiùs panditur, plurimis œconomix animalis muneribus, textû cellulari aptior nulla. Omnium organorum basis & fundamentum (a), alia aliis alligando, eorum consensus, variaque officia fovet & tuetur. Merito ad corporis humani elementa refertur tela cellulosa (b). Physiologiâ verò edocemur, organorum omnium texturam, ex duobus fibrarum elementariarum generibus constari, rotundis aliis, in longum quidem, in latum verò nullatenus ferè extensis, & planis aliis, quæ sat conspicuam latitudinem habent, & idèò lamellæ nuncupantur (c).

Ex his duobus fibrarum ordinibus, modò separatis, modò junctis invicem, struitur tela cellulosa (d), idèò dicta, quod cellulis innumeris ad se mutuò patentibus confletur. Latissima ejus per omnes corporis partes ad intima usque penetralia diffusio, & inextricabilis qui in eâ haud infrequenter nidulantur morborum series, quanti sit momenti accurata & attenta illius meditatio, facilè probant. Nullæ quidem sunt corporis partes, per quas hæc non vagetur membrana, nullæ, quæ eâ non involvantur, & ab eâ solâ oriuntur plurimæ.

I I.

CUTEM inter & musculos subjacentes, laxis, amplius reperitur textus cellularis. Hic ipsius lamellæ longius inter se

(a) Halleri Elem. Physiol. Tom. I. Lib. I. Sect. 3. pag. 19.

(b) Ibidem de telâ cellulosa.

(c) Circâ fibrarum elementa, videantur Hermannii Boerhaavii Elem. Chem. Tom. II, ubi de operationibus Chemicis in animalia quæstio est, & aphorismorum exord.

Baglivii opera omnia, de anatome fibrarum. pag. 399. Halleri Elem. Physiol. Tom. I. Lib. I. Sect. I. de fibrâ.

Kaau Boerhaave de partibus minimis constituentibus. pag. 379.

(d) Haller de telâ cellulosa. Tom. I.

distantes, areolas vel cellulas[§] intercipiunt invicem communicantes, quod perspicuè constat emphisemate, leucophlegmariâ, & experimentis variis in animalibus. Major minorve est harum cellularum area, nunc crescit, nunc decrescit loculorum illorum aggestus per varias corporis partes diffusus, ibique, per arteriarum capillarium extremitates, secernitur oleum tenue blandum, in diversis locis spissitudine diversum, quod in sanguine hærere docuit Ruifchius (a). Huic autem succo secernendo, peculiaria excogitaverat Malpighius vascula secretoria (b), quæ postea ipsemet refutando, mera figmenta esse comprobavit (c). Hæc textûs cellulosi pars amplissima, membrana adiposa nuncupatur ob succum adiposum suis coacervatum cellulis. Illam, panniculum adiposum prisci dixerunt anatomici, huncque, carnosum alio quem homini falsò tribuebant, subjici contenderunt.

I I I.

MEMBRANA adiposâ totum involvitur corpus, variaque in diversis partibus reperitur. Crassissimâ pinguedine dives, ubi motus & attritus maximi. Hinc, ad nates, in femore, crure, brachio, &c. copiosa invenitur. Ad anum, &c. amplissima. Ad quasdam partes rarâ vel nullâ pinguedine scatet, ut in fronte, palpebris, pene, scroto, &c. hanc fibris musculosis hinc inde distributis præditam voluit Morgagnius (d), ut succo oleoso promovendo aptior efficeretur. Non enim secretus humor in cellulis stagnat, verum venulæ minimæ iis inhiantes areolis eum resorbent. Id certè docet consumptio in morbis quibusdam acutis, & motû nimio intra breve tempus. Idem demonstrat inedia, quâ absque ullo alimento, per aliquod tempus proprio pingui homines sustentantur. Mirabiliores innotescunt observationes quibus probatur, quædam animalium genera, per longissimum temporis intervallum, nullo assumpto pabulo nutriri (e). Observavit sagass. Kaau cellulas adipem continentes, ubiquè locari inter tenues membranas, sed ipsis multò fortiores, undè eas, ad propellendum ex cellulis in cellulas, & ex iis in venas oleum tenuissimum, aliquid

(a) Thef. I. Af. I. n°. 3. & adverb. anat. 2. pag. 28.

(b) De omento & adiposis ductibus, pag. 35. 36. &c.

(c) Oper. posth. pag. 25.

(d) Adverb. anat. II. pag. 17.

(e) Mus alpinus Plinii, Herinaccus, Glis & alii.

conferre autumavit (a). Illud verò validiùs efficiunt actio vasorum per relam cellulofam irrepentium, musculorum finitimorum contractio, &c. (b).

I V.

NIMIO oleofi succi in cellulofæ telæ areolas, per universum corpus affluxû, & eo parcè venis bibulis hausto, infertur obesitas. Hinc varia procreantur mala. Debilitatur cordis & vasorum contractio nimis laxatis fibris, torpent vires, sensus hebetes fiunt, imminuuntur secretiones, undè novus malorum nexus principii incremento, &c. (c).

Si in quâdam tantùm corporis parte augeatur pinguedo, eam insolitum in modum attollit, horrendoque sæpè spectaculo turgentem efficit. Consumpto verò adipe, vel exiguè à sanguine secreto, fit macies seu atrophia. Brevi sic, quidquid incrementi ceperat corpus evanescit, & quâ tumebat mole, extenuatur. Quæ quadrata olim ac torosa erant membra, ossa videntur cute solâ induta, vixque in iis musculorum superest vestigium, &c.

V.

Ex membranâ adiposâ prodeunt textûs cellularis propagines, quæ musculorum interstitia pervadendo, iis laxè alligandis inserviunt, ita tamen, ut liberam eorum actionem non morentur, in varios ex quibus componuntur fasciculos irrepunt, eos involvunt & copulantur; tandemque earum robore & crassitudine semper imminutis, ad fibras primitivas pertingunt, & implent perfectè quæ vacua forent inter partes spatia. Iis staminibus peculiare vaginas suppeditant, eaque inter se, nervos, & quibus irrorantur vascula, cujusdam mucici formam tunc referentes, nectunt.

(a) De persp. Hipp. Hanc membranam fortiorem notavit Douglassius. De peritoneo.

(b) Ex hydraulicis phænominis depromuntur insuper quædam rationes, quibus fluidum adiposum in venas bibulas impellitur, eodem modo ac chilus in lacteas, aquæ hydropicæ post vehementes evacuationes, in sanguinem, &c.

(c) Varias noxas ex nimia pinguedine oriundas annumerat Doct. Haller. in Elem. Physiol. Tom. I. pag. 50. 51.

V I.

DIVERSAS corporis humani caveas subit deindè textus cellularis. Visceribus omnibus communi vinculo alligatis, communia & peculiaria suppeditat involucria, intimam eorum substantiam pervadit, & vasa omnia quæ struendis ipsis inferviunt, jungit. Quædam ex eo ferè prorsus conflata, oculatissimis anatomicis visa sunt (a).

V I I.

AD textum cellularem demùm originem suam referunt omnes membranæ. Aliæ, cavitates corporis intus vestiunt, easque variis sepimentis vallant. Tales sunt in calvariâ meninges, &c. in pectore pleura, mediastinum, &c. in abdomine peritoneum, omnesque ex eo oriundæ partes. Aliis, organa quædam, ut ventriculus, intestina, uretheres, vesica urinaria, &c. partim exstruuntur. Merè cellulosum esse periosteum experimentis demonstratur. Ossa ipsa in recens natis, longis staminibus undique textu cellulofo obvestitis, efformari videntur. Indè prodeunt areolæ illæ, quæ in extremis ossibus longis adultorum, adeò perspicuè cernuntur. Penetrat cum vasis ad osium cava textus cellularis, ibique tenuissimam orditur membranam, in quâ fluidum peculiare oleosum, medulla dictum, fecernitur (b).

V I I I.

CUTIS ipsa, ut maceratione faciliè comprobatur, ex relâ cellulosâ originem ducit. Tunicæ adiposæ lamellis extus strictiùs congestis & arctiùs intricatis, in angustis maculis spatiolisve, vascula omnis generis recipientibus, efficitur illud commune corporis involucrium. Cutem fibris tendineis præditam dixerunt accuratissimi anatomici (c). Sed undenam orirentur?

(a) Experimentis anatomicis pulmonem ferè prorsus cellulosum esse comprobatur. Act. Acad. Reg. Scient. an. 1718.

In liene, eadem patet structura, &c.

(b) Hanc medullæ membranam, & vesiculas tenues quæ ex eâ oriuntur, luculenter descripserunt Duverney in Act. Acad. Reg. Scient. 1700. pag. 202. Ruifchius Thef. anat. X. n°. CLXXXII. Kaau de persp. Hipp.

(c) Stenonius, Winslow de cute. pag. 485.

Ubinam sunt musculi quibus ea suppeditantur ? Tendineæ quippè fibræ à musculosis tantùm discrepant, quòd solidiores, duriores, magis compactæ, arctius inter se cohereant.

I X.

CUTIS in summâ superficie, reticulo Malpighiano & epidermate seu cuticulâ contegitur. Adeò strictus est harum membranarum nexus, cuticulæ scilicet & reticuli Malpighiani, ut clarissimis anatomicis Albino videlicet, Duverneio & aliis placeat eas pro unâ eâdemque numerare. Variam se præbet in diversis corporis partibus, cute multò ampliorem, multis sulcis & alveolis excavatam, qui ab assurgentibus cutis papillis exarantur, easque teneriores, quam ut objecta, nudæ absque molestiâ attingant, obvestiunt. Hinc externè sicca est & durior, quo verò papillis propior, eo mollior evadit, ne teneram læderet nervulorum pulpam. Illa cuticula vocatur, hæc reticulum Malpighianum, ab eoque, coloris hominum diversitas, potissimum pendet. In eâ membranâ nulla perspicuè observantur vasa, sicut celeberrimi Ruischii experimentis innotescit (a), cum tamen nutriatur, vasculis tenuissimis non omninò destitui, admodum verisimile est. De hujus organi structurâ non consentiunt authores. Illud ex humoribus, qui de corpore exhalantes frigore condensantur, nasci crediderunt veteres, vel ut contendit Riolanus, ex eo muco qui cuticulam inter & cutim invenitur. Ex Clariss. Morgagnii sententiâ, nihil aliud est, quam ipsius cutis extrema superficies, à compressione & attritu indurata (b), sed iis omnibus sententiis obstat præsentia ejus in fœtû. Hanc membranam, ex nervorum cutaneorum, vel canaliculorum qui in cutis superficie terminantur extremitatibus, efformari contendunt Lewenhoeckius, Ruischius & Boerhaavius (c), nec iisdem coercetur quibus cutis limitibus, sed per varias illius aperturas epithelii nomine reflectitur.

(a) Avers. anat. 3. Decad. VIII.

(b) In advers. anat. alteris. pag. 13.

(c) Ex vasis inhalantibus & exhalantibus Lewenhoeck Epistol. Physiol. XLIII. Boerhaavius in prælect. Tom. III. pag. 557.

Ex nervis cutaneis Ruischius Thes. 2. 3. 6. 9.

X.

CUTIS & epiderma innumeris pervia sunt foraminulis, inhalationi & exhalationi dicatis, quarum imminutio, suppressio, auctusve nimius, innumera mala œconomix animali inferre valent. Corpus omni momento inspirare & expirare cognoverant Hippocrates. (a) & Galenus (b), at illud argumentum, luculentis experimentis, & indefessâ multorum annorum observatione, illustraverunt Sanctorius (c) & Kaau (d).

X I.

Ex suprà dictis, quanta agat munia textus cellularis elicitur. Partes partibus jungit, interstitia implet, musculos & eorum fibras alligat, easque tenui inungit smegmate, undè facilius eorum contractio. Illo, necessarium visceribus conciliatur robur, ipforumque vasa ordinantur, & molli tomento fulciuntur. Textû cellulari receptacula, canales secretorii & excretorii efformantur, hinc variis secretionibus plurimum famulatur, succum adiposum suis coacervat cellulis, &c. &c.

Cùm igitur tam longè latèque diffundatur tela cellulosa, hanc, perenne vulnere pedisequæ suppurationis, & aliorum phænomenorum theatrum esse, quis mirabitur ?

X I I.

IN vulneribus substantiæ amissione notatis, medicationis scopus, consolidatio. Horum verò decursus variis dividitur stadiis, quæ summariè perpendere juvat. Pro specimine sit igitur latum vulnus, amputato femore superstes. Ad abscissorum vasorum hiatus irruens sanguis, uberrimè primùm erumpit. Mox, ob membranarum quibus vasa struuntur elaterium, eorum imminuitur diameter, tandemque toti oblitterantur ocelli : indè primò minor emittitur cruoris quantitas. Nihil postea nisi serum subrutilum exit. Brevi spontè cessat cujuscumque

(a) Epid. Lib. VI. Sect. VI.

(b) Lib. de usu puls. Cap. V.

(c) Medicina statica.

(d) De persp. Hipp.

humoris effluxus. Tùm exsiccat & arefcit vulnus, tumefacta obruitur femoris extremitas, accedentibus continuò fluidis, quibus foras erumpendi libertas eripitur, quæque plurimos, in lateralibus viis sequendis, obices inveniunt. Indè omnia distenduntur vasa, discindantur tenerrima per telam cellulofam irrepentia, & in eam, fluida quibus obruuntur, effundunt. Hinc in eâ gignitur phlegmonofa inflammatio. Ex his partium tumore & inflammatione, fi non admodùm urgeant, rectè augurari licet. Cùm verò penitus absunt illa phænomena, tùm grave malum portenditur. Undè meritò pronunciavit medicinæ parens Hippocrates (a). *Gravibus vulneribus inflitlis, fi tumores non appareant, ingens malum.* In illo vulneris statû ingruit febris, quæ fi levis, falutaris est, per omne inflammationis tempus vulgò dominatur, & frugiferæ suppurationis commovendæ plurimùm infervit.

X I I I.

SUB tertium quartumve diem, modò citiùs, modò tardiùs, humefcit & illinitur vulnus, materiâ albâ, spissâ, pingui & inodorâ. Hæc pus dicitur. Quamprimùm illud diffluit, febris, inflammatio, horumque symptomata, aut sedantur plurimùm, aut prorsùs diffillantur. Hæc profectò meminit Hippocrates dicens: *Circa puris generationes, dolores & febres magis accidunt quam (ipfo) factò (b).* Ut genuinum habeatur pus, dotibus recensitis præditum fit, oportet. Hoc in prognosticis notavit Hippocrates, his verbis: *Pus optimum, est album, & æquale, & leve, & minimè fœtidum; quod autem maximè huic contrarium est, pessimum est (c),* sic Celsus: *pus quo crassius & albidius est, eo periculi minus est (d).* Fluidum illud peculiare, non in vasis procreatur, nec per vasa fecernitur, quale in vulneribus observatur; sed fluidis diversis, in vulnus merâ diffluentibus humorrhagiâ (e), invicem mixtis, & corporis calore, ex corde & vasis pulfantibus orto, mutatis & inspissatis, producitur. Quales sint humores illi, ex effectibus depromitur.

(a) Epidem. Lib. II. Charter. Tom. IX. pag. 181.

(b) Aphor. 47. Sect. II. Charter. Tom. X. pag. 85.

(c) Sentent. 42. Charter. Tom. VIII. pag. 617.

(d) Lib. V. Cap. 28.

(e) Quesnay, de Suppuratione. pag. 7.

X I V.

AUGETUR quotidie puris effusio, donec à fluidis eum obruentibus expediatur textus cellularis, hinc desidunt illius areolæ, imminuitur amputati femoris extremitas, & quasi locali extabescit macie. Tunc laxa fit cutis, lamellisque telæ cellulosæ, à peripheriâ ad vulneris centrum invicem connexis & exsiccatis, cicatrix efformatur (a), eâque totum obducitur vulnus. Talia in omnibus vulneribus cavis observantur. Vasa discissa primo quidem momento, magno impetû sanguinem eructant, sed brevi imminuitur, tandemque spontè cessat cruoris effluxus, contractis vasorum orificiis. Tùm rationibus allatis (nº. XII.) tument & inflammantur vulneris oræ; mox diffluit pus, indè desidunt, & ad sese mutuò admovent vulneris labia, ad fundum æquali deprimuntur gradu, tuncque mechanismo suprà memorato, coalescit, siccatur & cicatrice obducitur hiatus.

X V.

Ex memoratis vulnerum phænomenis, usitatam medendi methodum eruere mos est. Hinc pro vario eorum statû, prorsus discrepantia medicaminum genera admoventur: 1º. Dùm vigent inflammatio, dolor, & nimius solidorum eretismus, emollientibus & anodynis arcentur medicaminibus.

2º. Si fluidis obruuntur vulneris oræ, tunc suppurationi opitulantur remedia suppuratoria.

3º. Abiterfioni efficiendæ incumbunt Chirurgi, & carnis, ut aiunt, generationi favent, abstergentibus & sarcoticis remediis, idèd dictis, quod eâ mente conferantur, ut amissa regeneretur substantia.

4º. Tandem cicatricem, coalescentibus, & exsiccandi vi præditis remediis, inducere conantur (b).

Sic medicaminibus falsò tribuitur sanationis negotium, eoque provida natura defraudatur.

X V I.

SUPPURATORIA & maturantia medicamina dicuntur, quæ

(a) Illud perspicuè constat, ex rationibus allatis ab illust. D. Louis in Act. Acad. Reg. Chirurg. Tom. IV. pag. 137.

(b) Fabricii ab Aquapend. Op. Lib. II. Cap. VIII. pag. 722.

corporis partem aliquam in pus convertunt (a). Sed jam diximus, illud in vulneribus à naturâ perfici, & ex vasorum abfissorum osculis, merâ *hemorrhagiâ* in ea effluere. Supervacuus igitur suppuratoriorum usus semper, & noxius sæpissimè. Cum enim ex variis pinguibus & oleosis substantiis hauriantur, proindeque solida maximè relaxent: his inconsultè adhibitis, luxuriantes procreantur carnes, seu potius textûs cellulosi ab stagnantibus fluidis *intumescencia*, quæ cicatricem remoratur (b). Ut ea coerceatur, catharticis uti medicaminibus necesse est, quibus certò inflammatur vulnus, longiùsque sanatio protrahitur.

Abstergentia seu mundificantia, ex stimulantium classe deprompta, fibræ motricis motus oscillatorios augment (c): hinc circulatio in vasis præclusis liberior, hinc humorum in cavum vulneris effluxus copiosior. Rarò vulnus his indiget remediis, nisi priùs noxiâ pinguium applicatione, fordes in eo generentur.

X V I I.

PLERIQUE tùm veteres (d), tùm recentiores Chirurghi, substantiam in vulneribus amissam regenerari, & in illa naturæ negotio, farcotica remedia ei opitulari existimantes, ad mechanismum hujusce phænomeni indagandum, omnibus incubuere nervis. Varias opiniones hæc de re excogitatas, sigillatim non exponemus. Quidquid de eo argumento, illust. Boerhaavius & illius eruditiss. commentator Van-Swieten (e), quidquid de eodem DD. Garangeot (f), Quesnay (g), alique plurimi disseruerunt, consuli potest. Hypotheses varias, numerosis observationibus, quæ in diversis congestæ reperiuntur operibus (h), suffulxisse videntur viri illi celeberrimi.

(a) Boerhaavius de viribus medicament. pag. 315.

(b) Hæc notavit Fabric. L. C.

(c) Boerhaavius L. C. pag. 80.

(d) Huic opinioni indulget Hippocrates in Lib. de locis in homine. Cap. XIII. Charter. Tom. VII. & de affection. Cap. X. Charter. Tom. VII. Quandòque, eam evidenter oppugnat sententiam, ut in aphor. 19. 24. Sect. VI. & aphor. 28. Sect. VII.

(e) De vulnere in genere §. 158. n°. 9. & §. 189. 190. 191.

(f) De oper. Chirug. Tom. I. pag. 5. & seq.

(g) De suppuratione. pag. 254. & seq.

(h) Tales sunt observationes Hildani Cent. 5. Observat. 76. Bartholini Cent. 6. Hist. 69, &c. cum his observationibus congruere videntur experimenta à perspiciss. Reaumur in canceris facta. Act. Acad. Scient. an. 1712.

X V I I L.

ADVERSANTIBUS licet tot auctorum placitis, opinionem prorsus diversam ediderunt in ipso Acad. Reg. Chirurgicæ gremio viri Academici (a). Hi naturâ duce vulnerum curationes indefessâ curâ rimati, fictitiâ carniû genesis validissimis diffilarunt argumentis, errorisque fontem exhausserunt. Eo nititur fundamento confutata substantiæ regenerationis opinio, quod cellularis textus rationibus allatis (§. XIV.) deprimatur, tunc vulneris dimensiones imminuuntur, hinc ad ora tendens illius basis, insurgere videtur; sed arrectos admoventi oculos, ora ad basim sensim sensimque deprimi, luce patebit clariùs. Nova hæc opinio singulis insitit abcessuum phænomenis, iisque, inconcussis erigitur fundamentis. Nulla sanè, hoc in vulnerum genere substantiæ jactura, si forsân, quâdam textûs cellularis lamellulas exceperis. Tamen, numne magnum tibi, raptò vel discisso puris repagulo, ob oculos versatur vacuum? Numne insignem, ob labiarum *intumescentiâ*, substantiæ ablationem pronunciares? Præconceptum in tempus emenda judicium; labiorum *detumescentiâ* & collapsum specta: mox deletum quod mirabaris vacuum, præconceptam de carniû genesis opinionem everter radicitus. Nulla enim tunc dici potest succrevisse substantia, siquidem nulla fuerit illius amissio. Quæcumque in vulnerum medicationibus observantur, attentâ mente perpendantur, tûm omnia consolidationis phænomena, huic novæ opinioni favere, perspicuè constabit (b).

X I X.

Cûm igitur nulla in vulneribus regeneretur substantia, sarcoticis remediis, fictitias vires hucusque assignatas fuisse, sequitur. Porro, si eorum effectus attentè perpendamus, exsiccantia medicamina videbimus (c). Rectè igitur pronunciavit Boerhaavius, *sarcotica esse remedia quæ tollunt id quod impedit*

(a) Peritissimus hujusce Collegiî magister D. Fabre, & jam laudatus Clariss. vir D. Louis in Actis Acad. Reg. Chirurg. Tom. IV.

(b) Variis aliis hæc sententia fulcitur argumentis, quæ sigillatim referre vetat angustior pagella. Hæc vid. in virorum Clariss. Dissertationibus.

(c) Magatus de rarâ vuln. medic. L. I. Cap. XV. de carnis regeneratione & sarcoticis.

concretionem & exsiccationem vasorum (a) ? Talia sunt, thus, iris, aloe, mirrha, pix arida, liquida, &c. oleum therebentinae, mastiches, olibani, mirrhæ, benzoini, &c. balsamum Fioraventi, sulphuris, fulleri, &c.

Ab eadem exsiccantium & astringentium classe, petuntur epulotica, sive cicatricem inducentia remedia, quæ quidem facultate instrui censentur, galla immatura, balauſtia, corallia, lapis hæmatites, sanguis draconis, calx lora, alumen ustum, &c. emplastra diachalcitidis, de lithargiro, vinum astringens, &c.

X X.

LICET commentitiæ circa vulnerum consolidationem opinioniones, ob Chirurgorum oculos starent, merum tamen & perpetuum in iis sanandis naturæ votum, quam citissimam putâ exsiccationem, & vasculorum obturationem, ut medicaminibus assequerentur, enixi sunt. Hæc profectò sunt naturæ optata (b); cum verò, humorum in minimis vasis stagnationem, eorum in textum cellulosum effusionem, indèque procreatam inflammationem, in vulneribus gravioribus, difficillimè penitus coerceri certa comprobaverit experientia; in primo igitur vulnerum stadio, tutus non esset astringentium & exsiccantium medicaminum usus. Nec verò procul abest periculum, si validiora, in quovis vulnerum periodo, adhibeantur; his enim sæpissimè adaugentur dolor, inflammatio & omnes quæ ex iis profluunt noxæ. Ratione experientiâ fretâ evincitur aliundè, solutiones continui jacturâ substantiæ stipatas, ad citam consolidationem tutè provehi, speretis licet supramemoratis omnibus medicaminibus. Prospiciens natura ad hunc scopum requisita expeditè consequitur, si enim pus movere oportet, natura movet, si aglutinandum & cicatrice obducendum vulnus, hæc perpetrat munia (c).

(a) De viribus medicam. pag. 94. & Fabric. Sic dicuntur *sarcotica* quia *siccando & detergendo impedimenta* (ex illius sententiâ, fictitiæ carnis regenerationi) *auferunt*. Lib. III. Cap. III.

(b) » In ulceribus omnibus adstrictio & exsiccatio requiritur, si eadem consolidare sit animus. Wedelius amœnit. Mater. medic. pag. 53. Hæc fuit doctrina Hippocratis. Lib. de ulceribus. Galeni tertio method. 4 & 2. de comp. med. per Gen. Cap. I. & XX, & pluribus aliis in locis. Junckeri Consp. Chirurg. de vulneribus generatim, & aliorum. Hanc physiologiæ face illustravit in suâ dissertatione D. Louis. L. pluries C.

(c) Quandoque naturæ vim observare volens, ad consolidationem

Hrs innixus veritatibus, & sagaci quo pollet ingenio ductus, cum fausto semper eventû, linamento sicco in omnibus vulnerum periodis usus est Dominus Pibrac. Omnes noxæ, à pinguium & balsamicorum applicatione profluxuræ, aut arcen-
tur carpto linamento, aut debellantur. Pinguibus & oleosis ut jam (§. XVI.) diximus, nimis laxantur vasa, in eis igitur stagnant humores, ibique diutiùs commorando, omni-
motû spoliati, jamjam depravantur, tuncque pus putridum, cruentum, &c. procreant. Balsamicis & astringentibus, irri-
tantur solida, undè in vulneribus fovetur *phlogosis*, quâ au-
getur puris effluxus, & deterior efficitur. Linamentum carptum depluentia undique fluida hauriendo, nimiam solidorum ato-
niam arcet, sicque uberiores suppurationem cohibet, aut sedat. Singula hæc rationum momenta, luculentis compro-
bantur observationibus, in Academicâ Dissertatione à Domino Pibrac habitâ (a). De amputato brachio agitur in primâ ex his observationibus. Peractâ operatione, vulnus linamenti carptis de more obductum est. Sextâ die, quidquid carpti applicatum fuerat secedit. Eximius percipitur vulneris habitus, pus opti-
mum. Plumaceolis digestivo inunctis medicamine, obvolvitur plaga. Septimâ die solvitur fasciatio; tunc circumferentia vulneris major, puris habitus deterior, inflammata & tur-
gescentes apparent carnes. Hæc, ex digestivi medicaminis ap-
plicatione, procul dubio oriebantur. Rursùm à peritissimo Chi-
rurgo applicantur carpta sicca. Ipsâ primâ deligatione, in me-
liorem conditionem vergens, vulnus deprehenditur. Quartâ me-
dicatione, sola splenia decocto emollienti madefacta admo-
ventur, & in craftinam lucem protrahitur carpti renovatio. Omnia quàm faustissimè procedere deprehenduntur. Mox, cum vulneris conditio melior meliorque evaderet, in tertiam, imò in quartam quamque diem deligatio diducta est (b). Quinque hebdomadis nondum elapsis, nullis accidentibus, exfoliatione nullâ ingruentibus, firmâ cicatrice vulnus obte-

vulnera, uno tantùm adhibito medicamento, & quidem non parùm ad-
verso, perducit Magatus. De rarâ medic. vuln. pag. 231.

(a) In Act. Acad. Reg. Chirurg. Tom. IV.

(b) Quanti sint momenti raræ vulnerum solutiones vid. in eximio
Magati Libro Cap. XXXII.

gitur. Plurimis aliis observationibus invictè probatur hujus praxis utilitas. In amputatis digitis, extirpatis mammarum cancris, ea faustos semper habuit successus (a). Ex allatis igitur & probatis, tum ratione, tum observatione, palam fit quàm felix & frugifera hæc therapeia sit, cum, præter consolidationis scopum, nihil quidquam in vulneribus substantiæ jacturâ notatis, obvium est.

(a) In hoc postremo casu, cum felissimo eventû, hanc adhibuit mendendi rationem eruditiss. vir D. Louis L. C. pag. 70. ani fistulam, peractâ à D. Pibrac operatione, celeriter & faustissime hæc novâ praxi curam, nuper vidimus.

FINIS.